... ecclesiasticae.

... uino.

Ioachimi a Nativitate B. M. V. Schol. Piar. Gemma fluminis Aquinatici etc.

Varsaviae 1672.

GEMMA
FLVMINIS AQVINATICI
Ortu, ſplendore, pretioq; ſuo
D. THOMÆ
DE
AQVINO
Angelici Eccleſiæ Doctoris Excellentiam
AD VIVVM EXPRIMENS
Retibus magis piæ, quàm facundæ Eloquentiæ
Capta,

&

Sub Aſpectum
Frequentiſsimæ, Florentiſsimæq; Hoſpitum Panegyris
In Ædibus S. HYACINTHI Ordinis Prædicatorum Conuentûs Varſauienſis
data
Per P. Ioachimum à Natiuitate B. M. V. Scholarum Piarum.
Minimum Doctoris eiuſdem Angelici Diſcipulum.
Anno Cæleſtis Piſcatorum Magiſtri 1671. Die 7. Martij.

Permiſſu Superiorum
VARSAVIÆ, MDCLXXII.

In Stemma Illustrissimæ Domûs Donhoffiorum.



Petr. San. in Tesseris gentil.

Qui bona præstricto populatur agraria dente,
Pro patrio multis Stemmate cessit Aper.
Anglia Gradocijs, Gresingis Misnia, ceram
Vrbs hanc Pædagijs Mediolana dedit.
Scilicet Augusta hoc peperit victoria Signum,
Nobilis hanc peperit puluere fama feram.
Ast hæc Dônhofiæ quota pars spectatur arenæ,
Summa cui à victo gloria surgit Apro?
Multa licet gens seruet Aprum; laudabitur omnis
Dônhofio simili Stemmate, nulla pari.

Perillustri & Admodùm Reuerendo Domino

D. ADALBERTO GEORGIO DÖNHOFF,

Canonico Cracouiensi, Custodi Posnaniensi,

Iudici ad Tribunal Regni Deputato,

S. R. M. Secretario, &c.

Domino ac Patrono Fauentissimo vtramq; felicitatem.

NOmen Tuum, Perillustris & Admodùm Reuerende Domine, *rebus aliàs maximis atq; operibus illustrandis sufficiens*, Gemmæ *meæ accessit opportunum: Nam si quas illa in sui adumbratione ab imbecillitate eloquentiæ contraxit tenebras, eas ad splendorum Tuorum fulgorem est excusura. Solet enim ad lucis iubar, tota perire caligo, & quod naturâ propriâ lucidum est, solis accessu fieri lu-*

ri lu-

ri lucidius : neq; necesse est, posthumi splendoris cupidum, more Persarum effæminari in lunam, aut Cosroæ includi sphæris, quem syncera puraq; lucis circumstat maiestas. Et verò Meanè etiam Gemma *sibi ab oratorijs vmbris metuat, quam Perillustre Nomen Tuum suis perstringit & adornat radijs? dubitare mens vtcunq; posset, ni sensuum obfirmata testimonio* Dönhoffiorum *Familiam, maximorum virorum fæcunditate, opum effluentiâ, dignitate honorum, cognationis vinculo totâ Europâ Illustrissimam laudare cogeretur, & admirari. Nolo hic diffusam longè & latè lucem gloriæ in vnum præconij punctum concentrare; cùm neq; peritissimo cuiq; promptum sit, tantam splendorum magnitudinem verborum Numeris definire; neq; præsens Encomiastæ consilium, vbi mole rerum obruitur, tamen altiùs eniti. Jlla enim,* Perillustris & Admodùm Reuerende Domine, *Illustrissima Maiorum Tuorum Lumina; illi tot Sanctissimi in tiaris Præsules, tot sapientissimi in Senatu Patres, tot strenui in bello Duces, tot prouidi in pace Consultores, tot Generales in exercitu, Præfecti in legionibus, Gubernatores in Terris, quos omnes in admirationem Magnanimæ Gentis inclyta protulit virtus, priusnè numerari possunt, quàm singuli laudari pro merito?* Magnis Ernestis,

Fri-

Fridericis, Alexandris, Vladislais, Hermannis, Otthonibus, Henricis, *aliisq; plurimis, quà sago, quà togâ ornatissimis viris deprædicandis, quæ par est vbertas ingenij? ipse Tuus gloriosissimus Parens* Sigismundus, *Bidgostiensis, Socaliensis, & Boleslauiensis Gubernator, qui assumptâ in coniugium Magni illius, & maximâ mundi parte celeberrimi Georgij, Cancellarij Filiâ, in clarissimam* Ossoliniorum *denupsit Familiam, quot partibus in sui luce adumbranda Oratoris excederet facultatem? quantum Illustrissimus* Gaspar *S. R. I. Princeps, Palatinus Siradiensis, Auus Tuus, per matrimonium cum Supremi Exercituum Ducis Stanislai Cracouiensis Castellani Filia, victoriosissimæ* Koniecpoliorum *Domui coniunctus, qui ad Vrbanum VIII. Summum Pontificem, ad Ferdinandum III. Romanorum Imperatorem cum summa amplitudine honorem gessit Legationis; quantum, inquam, eruditissimis quibusq; in suis laudibus facesseret negotij? Quid dicam de tanti Parentis haud degenere Filio, Illustrissimo* Stanislao *Terræ Vielunensis Præfecto? qui tot militiæ insignitus meritis, laude ipsâ virtutum titulis superatâ, quò fieret Orbi adhuc illustrior, Ducalem* Rádźiuiliorum *Mitram domestico adiunxit splendori; dum sibi Filiam Supremi*

)(3 *Marc-*

Mareschalci M. D. L. iunxit connubio. Quid de Gerardo *Palatino Pomeraniæ? qui Illustrissimam Domum Vestram primò* Opalinijs, *& iterùm per Ducis Brigensis Filiam Regiæ* Piastorum *Genti cognatione; tùm per hoc affinitate Illustrissimis de* Ostrog, Wisniowiec, Czártorysko, Lithuaniæ, Mazouiæ, Ducibus; *& per hos tandem Augustissimæ* Austriacorum *Domui, Inclytis* Hispanorum *&* Hungarorum *Regibus, Serenissimis* Transyluaniæ *Principibus, felicissimè gloriosissimèq; copulauit. Quid deniq; dicam de Illustrissimis Dominis* Succamerario *Regni,* Succamerario *Pomeraniæ, cataphractæ Regiæ Legionis* Tribuno *peditatûs itidem Regij* Generali Maiore, Abbate *Mogilensi,* Capitaneo *Starogardensi,* Capitaneo *Vrzedouiensi,* Capitaneida *Vielunensi, egregiè ad publicum Patriæ Solatium Adolescenti, mihi multâ beneuolentiâ noto, multisq; titulis colendissimo? quid de omnibus alijs, quos Auita, recensq; gloria vitâ superstites fortunatè, bono patriæ seruat; & in quorum* [illegible] *Maiorum Spiritus reuiuiscit, exemplaq; in vestigiis co[n]guntur? Sanè gloriabitur* Gemma *Mea tantis adscripta Luminibus, & veluti ab Erithreo littore collectus Onyx, ab illis prodibit illu-*

strior

ſtrior. Quanquam etiam fruſtrà operam impendo, tot Auiti Luminis imagines ad Gemmæ *meæ ornatum congerendo, ad quam vel ipſæ diuitis Animi Tui, Tibiq́; propriæ dotes ſatis eſſent illuſtrandam. Ita enim à Nobiliſsimis retrò Maioribus procedis Nepos, vt ſimul virtutis hæredem te, ad totius Poloniæ ornamentum, magnis certiſq; oſtendas argumentis. Ita pietate, ſapientiâ, magnanimitate, amore in Patriam, & meritis Maiorum Tuorum æmularis gloriam, vt Tibi perſuadeas, non aliâ viâ quàm quæ literis, ac virtute ſternitur, ad priſtinæ Tuæ Familiæ decus eniti poſſe. Et licet Orbis Caput, Italia à Te diu probèq; luſtrata, licet aliæ peragratæ Gentes, quantùm præclarâ Tuâ indole, & compoſitiſsimis ad omne honeſtum moribus lucere poſteritati valeas, omnibus fusè commendent; luculentiùs Pàtria ipſa eiuſmodi in Te aduertit & iam coronat auguria; quando Te magnis in Eccleſia titulis, magnis in Regno muneribus, prudenter iudicat, & adhibet idoneum. Nihil ergo Tibi* Perilluſtris & Admodum Reuerende Domine, *mirum videri debet, quod nobilitando operi meo, &* Gemmæ *magis illuſtrandæ Nomen Tuum inſcribere voluerim: ſplendor hic Tuus, & priuatæ aliæ meæ rationes ſecus agere vetuerunt. Excipies igitur,*

quid-

quidquid est istud obsequii cum munere à me Tibi debito ; & pro singulari pietate in Doctorem Angelicum , *cuius Nobilissima à Scientiis Tuis portio es , iudicabis pertinere.*

Perillustris & Admodùm Reuerendæ Dominationis Vestræ

Deditissimus Seruus & Orator

Ioachimus à Natiuitate B. M. V. Scholarum Piarum Sacerdos.

D. THOMAS
Gemma Fluminis Aquinatici.

SI quantùm humor frigidus reliquis vtilitate, & præstantiâ antecellit elementis, tantũ illi attribuitis cum dignitate encomij; & si, iudicio vestro, idem est, laudari aliquid maximè, ac de eo asserere laudatissimum: maximam Aquæ laudem mihi videor adscripturus, si eam Diuinæ clementiæ signum, si Sanctorum semen, si cuiusuis boni cœlestis scrinium, sedemq́; appellauero, A. A. Videre enim elementum hoc mole suâ grauidum super conuexa & extrema cœli parte, inani quodam fundamento teneri suspensum, nec tamen ad funestam sublunarium rerum oppressionem, centrum suum violenter petere, sed leni leuiq; præter naturam motu stillatim tantùm in terram delabi; videre hoc ipsum humo distentum ostiis suis concludi, non transire alueos, neq; ea, quæ in terra sunt, vi suâ suffocare, cui admirationem non exciat? quis datum id Diuinæ non referat clementiæ? Si Tomitano vati creditis,

Sic leuis vnda grauem premeret sub gurgite terram
Perpetuo, nisi cura Dei se attollere montes
Jussisset, vallesq; premi, terramq́; cauernis
Hiscere, & ingentes humori aperire lacunas,
Et maris irati sepsisset molibus iras,

Sed & cœlestium etiam bonorum Aqua repositorium est. Date mihi è religionibus diuersis gentem vnam, quæ sacri quidpiam Diuinis litatura honoribus non priùs aquæ aspersione labem tollat corporis, taliq; piamento ab impuritate mundata ædes sacras, & Diuorum altaria accedat? præter Orthodo-

 xam,

xam, quæ in liquido hoc elemento sacratiora fundat gratiæ spiritualis priuilegia, in omnium gentium religiones refricate memores animos; & Ægyptijs fontem Iuturnæ, Atheniensibus Callirhoes, Græcis Eleuterij, Persis Choaspidis, Arabibus Eulei; alijs deniq; aliarum aquarum fontes summo honori, & reuerentiæ fuisse, comperietis. Nimirùm inest quædam fluido huic corpori Diuina vis, & seminaria bonorum virtus, quæ Cimmerijs etiam vanæ fidei tenebris obuolutum in sui trahit agnitionem, sibiq; insitas cœlitùs dotes non obscuro explicat documento. Quâ ratione minimè vereor, præstantissimo huic elemento non modò omnium corporum, naturarum, virtutum, operumq; mirabilium fundamentum adscribere; sed etiam semen illud esse, ex quo regenerati homines ad ipsum & sanctissimæ vitæ, & gloriæ immortalis apicem adolescunt, fateor liberrimè. Quid enim est, quòd olim, dum mundus inciperet, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*; quid, quod Veritas ipsa æterna sapientissimo ore proclamauit: *neminem voluptuosam illam Beatorum sedem adire posse, nisi ex aqua & Spiritu Sancto renatus fuerit?* scilicet producendi animam viuentem, germinandi Sanctos, soli Aquæ concessum est. Atq; hinc manifestò comperire licet, meum in Religione & studijs Collactaneum anno elapso minime errâsse, sed certè ingeniosè ac prudenter Encomiastæ officio esse functum; dùm pro his rostris, in hoc frequentissimo vestrûm omnium consessu, laudes ANGELICI DOCTORIS Aquis dimensus est; imo ipso OCEANI AQVINATICI titulo Sanctissimum suum Præceptorem adornauit; ratus, tanto DOCTORI nihil conuenientius ad laudem adscribi potuisse, quàm si ab aquis duxisset argumentum, in quibus & suum reposuère omnia decus, & D. THOMAS, gentilitium ortûs sui splendorem possidet collocatum. Habeo igitur laudem Aquæ maximam, *optimam* illam elementorum cum Pindaro prædicans; & eidem ANGELICO DOCTORI pro Nostro Pijssimo in eum ritu encomij adstructurus pensum, ne longè laudis semina collecturus euager, Aquâ hæreo. Adeste beneuoli animis, qui, vt video, lætâ adestis fron-

te,

te, Auditores, moramq; mihi, solitâ humanitate, concedite; vsq; dùm in hoc FLVMEN AQVINATICVM Orationis immittam rete, & inde non piscem aliquem aureum, sed GEMMAM pulcherrimam vestris obtutibus depromam: credo, si non tenuitas Eloquentiæ meæ aures vestras, certè GEMMAE huius ORTVS, SPLENDORIS, & PRETII consideratio delectabit.

Gemmas non in terris modò, sed in aquis rectiùs genitale sumere principiũ, sicut nemo curiosâ locorũ visione, aut lectione librorũ diligenti instructus inficiabitur; ita quiuis communi experientiæ, exploratæ veritati, illibatæ Gemmarum naturæ, nomini peritiæ proprio iniuriosus existet, qui in aduersã auersãq; opinionem suũ vocabit intellectũ. Cùm enim illas ex omni lapidũ genere impolluti splẽdoris singulare hieroglyphicum, & præcipuum puritatis stemma rerum mater, natura habere decreuisset: vt simul ingenito pulchritudinis illarum nitori prouideret, lucidis eas potiùs vndarum delectari fluentis, rarum verò cum terris habere commercium voluit: non ignara, difficillimum esse, terrenis immisceri quisquilijs, & ab eis nequicquam pollui: quarum vel leuissimo attactu omne quantumuis custoditum innocentis elegantiæ decus facilè amittit venustatem. Ea nimirum cuiusq; puritatis fragilitas est, vt nisi minimos cautè deuitet puluisculos, citò nimis lutosa fiat, colorisq; excellentiam, in abiectum turpitèr commutet squalorem, tanta è vicino boni maliuè, & tam facilis communicatio est. Optimè sanè prouida rerum natura gemmarum prospexit puritati, vt, si natiuum sui splendoris decus splendidum omninoq; integerrimum conseruare velint, fluentorum alueis sese contineant; ibi nasci, ibi viuere, ibi morari; ibi ament æternum figere domicilium. Sed quid hæc de gemmarum priuilegio anime mi disputas? philosophari de rebus licet, bonum vni attribuere, quod pluribus commune est, non licet. puluere & terrarum sordibus non tegi, nitidam incolatûs quærere stationem, inter pellucidas cœlestium aquarum guttas demorari, puritatis intemeratæ amare venustatem, non

Ortus Gemmæ Aquinaticæ.

 gem-

gemmas tantùm naturæ instinctus, sed Gemmeas etiam Sanctorum mentes, procedens ab alto Spiritus voluit, docuitq; Animaduerte, quisquis es, & in Mystica mea pulcherrimaq; GEMMA, DOCTORE ANGELICO primum ORTVS Gemmei contemplare priuilegium: an omnino ille terræ palustri aliquid debuerit, vel solùm fluido aquarum elemento ingenitus puram, putamq; sui corporis lucem in lucido corpore seruauerit. Et iam mihi nonnihil cogitatione hâc defixo in mentem, imò oculos venit Flumen illud sanguinis AQVINATICI gentilitium; plenisq; littoribus maximum auitæ purpuræ splendorem, heroica bellicarum virtutum opera, insignia Maiorum ornamenta, opum affluentiam, certa victoriarum trophæa, summam Nominis & gloriæ felicitatem prouehens, hâc tam beatâ VNDA ortum esse suum THOMAM, atq; his natalem eius innatare splendoribus, confitetur. Sed quid ego hæc cum Tua, SANCTISSIME AQVINAS, iniuria ad panegyrim reuoco, quæ tu calcare maluisti potiùs, quàm honore aliquo digna iudicare? quid ea imprudenti commemoratione prosequor, quæ tu sapientissimo iudicio in altam obliuionis abyssum abiecisti? nimis hæc in aquæ abierunt naturam, & omni rapidiore fluxu velociora sunt: proinde alia in FLVMINE TVO, quibus continereris, & seruaveris, elegisti conchilia: aliud erat, quo tu mundi fluctibus superior, ceu Moyses alter, super natiuas Aquas ferebaris, nauigium. Multi opes, gloriam, trophæa, aut quidquid fastuosum, quidquid sublime humana possidet ambitio, gradus ad felicitatem, splendoremq; vitæ reputant: tu solam parentum tuorum pietatem, vnicam vitæ innocentis, & Gemmeæ puritatis conseruatricem In FLVMINE TVO, aspexisti & amplexatus es: quæ quidem quanta in ijs reluxerit, loquuntur manifestè ordinatissimæ illorum actiones, & spectatæ in religionem orthodoxam inclinationis opera, in quibus ad absolutissimam pietatis amussim ita se concinnabant, vt, si credimus, quod sacræ nobis literæ prodiderunt, *pietatem & timorem Diuini Numinis aut animam hominis esse, aut eius vitam*; crediderim ego non aliâ eos animâ vixisse, quàm pietatis.

tatis. Sed altiùs GEMMAE Nostræ scrutemur Ortum, & non ita Gemmei corporis, quàm Gemmeæ Sanctitatis consideremus fulgorem. Non ignoro, sapientum proditione apud Nasamones in montibus imbre Diuino gemmas nasci, & Lunæ maximè plenæ, concursu easdem crescere, ac inueniri; nec proinde ad deducendum GEMMAE meæ cælestis principium inquiro horoscopos, aut è numeris Matheseos inuestigo originem, in cuius generatione gemmarum Nasomoniarum naturam sentio spirantem, agnosco viuentem, demiror triumphantem. Dic mihi BONE, tuo nomine dignissime Anachoreta; illa tua vatidica gignendi THOMAE præuisio, illa Matri ore data de nanciscenda Prole admonitio; illa suauissima, quibus GEMMAM hanc AQVINATICAM familiæ & toti mundo fore luci prædixeras, verba, nonne voluntatis Diuinæ semina sunt? nonnè roris cælestis guttæ? quæ simul atq; (cælo Parentum Vota approbante) in materna viscera descenderunt, felicissimè desideratæ huius GEMMAE orsa sunt productionem. Nihil enim naturâ suâ Sanctum nasci, aut esse potest, quod non à cælesti bonorum Satore deriuet originem. Ergo iam in lucem edite, SANCTISSIME PVSIO, Salue; crescentem te in Gemmea puritate mundus vt videat, Lunæ plenæ influxu fæcunderis, oportet: sic namq; ad omnem virtutis amplitudinem, ad maiestatem animi, ad gloriæ immensitatem, ruptis pueritiæ inuolucris, viuidâ erumpes claritate; & quales alij paulatim fiunt, talis tu statim LVNAE beneficio apparebis. Subsistite tantisper animis, Auditores; & si aliquando in infantibus futuræ sapientiæ collegistis auguria, præsentem hodie in Nostro GEMMEO INFANTVLO primis fascijs, cuniśq; clauso sapientiam admiremini. SOLEM eruditorum non temerè illum appellari, vel ipsum suæ ætatis probat initium: sicut enim ille, idem & æquale tam in primo creationis suæ instanti, quàm in reliquo durationis tempore luminis iubar habet; ita GEMMA nostra sapientiæ fulgorem cum natura videtur imbibisse. Quantum enim hoc eruditi INFANTIS insigne est! vt necessariã ad sui corporis, splendorisq; incrementũ LVNAE virtutẽ alliciat ingeniosũ

 præco-

præcoci prudẽciá adſtruit philtrũ: nouit nimirũ ex Lucretio, quòd

Flumina ſuppeditant, vnde æther ſidera paſcit.

aut veriùs ex Ptolomeo, Lunam cæteris aſtris humidiorem ideo eſſe, quòd aquis nutriatur: vt proinde naturalem illius extinguat ſitim, vt opportunum ex ſe dulcis vndæ præbeat pabulum, vagitu implere auras incipit, molle corculum in lachrymas ſoluere, humectare vbertim genas; cùm interea non luna hæc aſpectabilis, ſed LVNA aſtris reliquorũ Sanctorũ lõgè ſuperior, Phæbe ſanctitatis omnis lucẽ exhauriens, LVMINARE ſolo Deo minus, gratiæ Diuinorumq; chariſmatum plena, ad pellacem humorem illum ſeſe demittit cupidè, virtutem ſuam, ſeu venerandum Angelicæ imò Diuinæ, Legationis Sacramentũ breui ſchedulâ, verbiſq; patentibus expreſſũ pluit in vagiẽtis INFANTVLI dextẽtã, dextera porrexit ori, os imis ventriculi penetralibus conſignauit. O permaturum in infantulo ingenium! ô Diuinam vim conſilij! ô influxum LVNÆ ſanctificantis fæcundiſſimum! Creſces, creſces procul dubio, non ita in amplitudinem corporis, quàm in immenſitatem pulchritudinis, ô GEMMA paruulis nunc faſciarum definita conchilijs! Quanta namq; olim non capies maior, ſi modò minima MARI gratiarum ſufficis capiendo! eruditam hanc papyrum futuræ à pietate & ſapientia magnitudinis tuæ cælitùs tibi oblatum eſſe chirographum, quis dubitet? cum MATRIS pietatis, MATRIS ſapientiæ auguſtum nomen exhauſiſti.

Splendor Gemmæ Aquinaticæ.

Alteram GEMMÆ huius conſiderationem nil moror, Auditores; quia etiam Diuiniſſimus THOMAS velociore, vltra opinionem greſſu, ad vitæ perfectionem properauit. Et Gemmeum quidem ſplendorem viuo virtutum colore depicturus, cùm in reliquas pueritiæ dotes curioſè oculos conijcio; cùm ſingula, quibus ad ſanctitatis adoleſcentiam feliciſſimè contendit, incrementa perpendo; cùm ſtudia & conatus, quibus ad conſummatum lucis bonæ ſplendorem conſtantiſſimè progrediebatur, paulò attentiùs perſcrutor: inter reliqua illud præterire non poſſum, quòd GEMMA hæc, plus quàm Policratica, natiuas peroſá aquas, & voluptuoſa paternorum tectorum

dele-

deferens conchilia, in Religionis Benedictinae ſeceſſit vmbras; nuſquam ſe meliùs ſuæ claritati prouiſuram rata, quàm ſi ad ſuæ, Diuinæq; cognitionis lucem opacum humilitatis ſubſterneret: quemadmodum carchedonios nigrioris aſpectûs eſſe, cùm in vitreis clauduntur aquis; obſcurante eoſdem tecto, purpureos videri, probauit Archelaus. Ergo tetram Benedicti Patris Religionem, pietatis palæſtram, ſanctitatis ſeminarium Thomas vnicè complexus, eam ſibi veluti ſacrum quoddam Tuſculanum conſtituit, pioq; illius Magiſterio, ſeu veriùs religioſæ diſciplinæ totum ſe intus & extra tradidit excolendum; ita, vt Aqueo domeſticæ voluptatis, & rerum humanarum fulgore poſtpoſito, tenebris aſceticis, rerum Diuinarum contemplationi, afflictationi corporis, ſeuero conſcientiæ ſcrutinio, æternæ puritati, affectuum moderationi, paſſionum victoriæ; omnium deniq; virtutum & ſapientiæ exercitio liberaliſſimè indulgeret. Vidiſſetis hic illum non inter cogitationum mundanarum fluctus, non inter illecebroſos voluptatis latices, non inter turbines inſolentiæ, aut vernilitatis iuuenilis ventos iactabundo animo ferri; ſed Deo primùm conſcientiæq; vacantem modeſtiſſimo de ſe ſenſu, compoſitiſſimis animi motibus per Encyclopædiam ſtudiorum peruicaciter diuagari. Vidiſſetis, nihil in omnibus eius negotijs fractum, nihil profanum in ſedulitate, nihil neglectum in ſermone, nihil in conuerſatione remiſſum, nihil in omni vita indecorum, quod lyncea cuiuſpiam malignitas poſſet ſubnotare. Vidiſſetis, imò videretis vtinam, Iuuenes ſcientiarum ſtudijs dediti! & dùm amatis illorum profectum, dum in literas incumbitis, vtinam meliorem ipsâ ſapientiâ probitatis candorem putaretis; vtinam inquam admitteretis, Ivvenis huius Sanctiſſimi in perdiſcendo exemplum; & cogitaretis, tùm demùm verum in literis ſplendorem eſſe, cùm ad eum promouendum pietas & modeſtia conueniunt! Inter hanc tantæ pulchritudinis affluentiam, adhuc Thomas ſiti ſuâ liber non eſt, iam demùm candoris Dominicani, in ſuum ornatum fide iuratâ transferendi pulſatur deſiderio. Sed quid agis, ô

orbis

orbis vniuersi amor, GEMMA cunctas nationes sole meridiano nitidiùs illustratura, quid agis? siccine flagrantissimum tuum iubar religiosorum parietum septis includis vt ibi horrido tenebrarum squalori te obscurandum impendas? siccine domesticam lucem in noctem transfers? Siccine ad facem in ore Canis defixam æuum ignobile transacturus es, cui natiuus Titan in pectore fulget? Siccine Parentum tuorum vota, Amicorum spes, Aquinatum desideria, plurimorum expectationem hoc spontaneo fortunæ deludis lusu? Caue, caue; & ni à proposito recedis, contra serenam fulgoris tui aciem, lachrymarum nubes; contra audaciam, minarum fulmina; contra libertatem, cathenas; contra virtutis robur, carcerem extimesce. At quid dico? corrigo me: sta animo Neoptoleme; & quia consilijs bonis vteris, speres te etiam pari vsurum manu. *In aqua tantum vnio mollis est, exemptus protinus indurescit:* Tu æquè quamdiu inter alueos gentilitij Fluminis, GAMMA, consistebas, anceps tibi fortuna victoriæ videri potuit; nunc cùm tibi cæli maior, quàm aquæ societas est, triumphus expectandus. Et si gemmis canes marinos assistere fabula est; certè Diui DOMINICI Canis, fidus splendoris ac vitæ tuæ custos, pugnantem te, accensâ suâ face defensabit. Quid hæres? Ecce hostes, Gemmeo DOMINICANI candoris splendore te exuturi, à tergo sunt: in nouum descende agonem; cum matre tibi & Fratribus bellandum est. Comprehenditur; Et iam mater non vt Filium, non vt fratrem fratres, sed vt odiosissimum Antagonistam impetunt, modis diuexant malis, domestico mancipant carceri, nouas exquirunt ærumnas; sæuit domesticorum furor, concitatur in rabiem mater, fraternæ indignationis tempestas efferuescit, vt innocens GEMMA his circumuallata vmbris propositi tenacitatem, cupitæq; amorem lucis in obliuionem mitteret. O sæuum in propria sanguinem! Et exhausisset saltem vtinam totum hæc sæuitia furorem! At prô Deum immortalem! postquàm attentati in irritum cecidére conatus, quibus GEMMA Nostra decore suo spoliaretur; placuit ad inficiendam, tollendamq;

lendamq; eius puritatem nouo vti astu, nouas, sed longè periculosiores machinas admouere. Quas tandem? pudet dicere, Auditores; & tota metu rigescit lingua, putans Angelico operi humanâ voce si proferatur, detractum iri, aut saltem modestiæ in dicendo sphæram excedendam: attamen solvere ligua, & cuius facti encomium nullâ verborum copiâ implere potes, illud acerrimis pudicitiæ propugnatoribus exprome in exemplum. Adoritur in carcere THOMAM; quis? tortor aliquis, aut carnifex? absit tanti in matre adhuc piâ, nomen flagitij: licet confossus, nondùm tamen emortuus in illa amor: sed fuit tamen ille carnifex illibatæ castitatis. Adoritur in carcere THOMAM; quis? Circe fortasse quæpiam, monstrosa ad terrorem spectra effingens, aut illum ipsum in aliam transformans speciem? Non: gemmis etenim si nomen inscribatur Lunæ, resistunt veneficijs: Circe tamen intentans Angelicæ puritati venenum. Quis igitur? ferus aliquis ad occidendum satelles? non: Nam si Thynos olim ex intuitu Smaragdinorum oculorum marmoreo leoni ad tumulum reguli Hermiæ inditorum tantus incessit timor, vt cum animo instrumenta manibus dimiserint: GEMMAE viuentis aspectus quem non exanimasset? Satelles tamen fuit, qui pudoris armati oppugnauit præsidium. Adoritur in carcere THOMAM; quis? adoritur Amoris soboles, voluptatis illecebra, integritatis scopulus, impudentiæ bellua, scelerum colluuies, dedecus adolescentiæ, probrum iuuentutis, senectutis ludibrium; ille scabrosus Veneris perditæ spumex in conchilio spumarum, veluti lintre quodam per mare voluptatis turbidum vehitur, & portam carceris influens, vt contagiosâ suâ lue Gemmeæ puritatis nitorem defædet, vultu venustatem, gratiam ore, habitu delicias, sermone lenocinium, nutu, gestu, totoq; corpore turpissima vota largè diffundit. ô monstrum Angelicis mentibus inuisum! Quid facis, Sanctissime Vnio, quid facis? lumen tuum illius opponis lumini? claude oculum; fragilis est, & obiectâ specie facilè superatur. Fugam arripis? vanus labor; carcer egressu prohibet. In profundum te aquæ demit-

 tis? ne-

tis? nequicquam; flumen exceſſiſti. Defenſorem inclamas? verba profundis; ſola tecum innocentia. Quid aggrederis? vnum tibi ſupereſt in fuco remedium. Venus hæc ſpumea eſt: ſputore aquæ humido nutriuntur, ſole vel igne admoto euaneſcunt. Ergo ignem arripe, hoſti applica, triumphabis. Præuertit facto conſilium prudentiſſimus THOMAS, ſemiuſtum arripuit titionem, ſpumæ maris ſibi aduerſæ applicuit, exſiccauit, attriuit, triumphauit. O factum virtuti Angelicæ par, humanis viribus & laude ſuperius! Adeſte cœlites, & fortiſſimum heroem, cælo, terrâq; ſpectantibus, victoriæ præmio, id eſt, baltheo ornate militari: ego paulisper me grauiori exuens cothurno, auguſtiſſimæ huic pompæ molli accinam dithyrambo.

GEMMA *puris orta Riuis*
Hoſte fuso, fudit Orcum
Aſtra factum. plaudite.
Vicit ignes igne ſacros
Dæmenumq́; luſit aſtus:
Metra gentes fundite.
Miſſa forti tela niſu.
Cyprisq́; fregit arcus:
Aſtra rurſus plaudite
Inter vmbras collocata
GEMMA *plus eſt ſole grata;*
Metra gentes fundite.
Nil valoris ceſſit atris
Comparata GEMMA *ſpumis:*
Aſtra GEMMAM *plaudite,*

Liliato nil ademit
Atra canderi nigredo;
Metra rurſus fundite:
Plaude forti, plaude magno
Caſtitatis ſingulari
Plaude cœlum militi.
Quem nec aſtus, arma, fuci.
Nec voluptæ manciparunt;
Plaude terra Militi.
TRINITAS *quem ter beata*
Pancratiſtam gratulata;
Plaude cælum militi.
Vicit, io concrepate
Terra votis, voce pontus,
Aſtra cantu plaudite.

Redeo ad laureatum iam Herculem, effrenatæ Veneris ceu multarum voluptatum hydræ domitorem glorioſiſſimum; ad fortunatam ſplendore ſuo GEMMAM, quæ adamantis induta ſpeciem, cùm in conſeruatâ corporis frigiditate, in oppreſſo tedæ infernalis ardore, indomitam naturæ illius vim in ſe expreſſiſſet; cùm tanti nominis dignitatem defenſæ integritatis facto abſoluiſſet: digna fuit per tranſuerſum lineâ albâ præcingi, & grammatias, quam non ſolus Oriens, ſed orbis vniuerſis

uerſus pro inſigni geſtaret amuleto, appellari. Quid, quæſo, vobis videtur, Auditores? parumne in Christi Neoptolemo virtutis? parumnè in triumphatore gloriæ? parumnè in GEMMA ſplendoris? vtcunq; admiratione veſtrâ rem extollite; AQVINATI meo, ad ſanctitatis, atq; Angelicæ perfectionis plenitudinem nato, certè parum. Iam captiuus triumphalis, liberq; eſt: è ſitu tetri carceris oculos attollamus, maiorem in receptitæ religionis aprico inter *candentes Dei ſeruos* Gemmeum THOMAE ſplendorem conſpecturi. Quanquam ego non minimè vereor, ne tam excellens congeſtæ lucis ſenſibile acriùs mihi intuenti corrumpat ſenſum, aut præſtrictâ ſuâ acie videndi prorsùs adimat facultatem. Quanta enim in morum maturitate, in humilitatis abiectione, in promptitudine obedidientiæ, in modeſta & affabili conuerſatione, in ſtricta ſilentij cuſtodia; quanta in rerum mundanarum contemptu, in fuga honorum, in ſcientiæ, contemplationis, pietatis, virtutumq; omnium exercitio GEMMAE huius lux eſt? vidit in THOMA & admirata eſt Religio ſuſpicienda plurima, animi Diuini quædam emblemata; dum cum ſine aſperitate lenem, ſine ſuſpicione candidum, obſequentem ſine moleſtia, benignum ſine defectu, Sanctum ſine inuidia ſemper agnouit; & quid hæc aliud ſunt, quàm cælo dati, cæloq; debiti ſplendores? ſuſpexit ardentiſſimam in eo charitatem, ſacrumq; erga proximos incendium, quoties torqueri aliquem corporis aut animæ neceſſitate, & colluctari cum aduerſa fortuna ſentiebat: quid eſt etiam id, niſi lumen à tertiâ in Diuinitate Perſona mutuatum? mirata eſt facundam linguæ eloquentiam, Sapientiæ decus, in prouidendis rebus conſilium, in exequendis dexteritatem; verbo dicam, ſumma, perfecta, ſuis omnia abſoluta numeris: & quid hæc ſunt omnia, niſi flammæ diuinæ mentis, quæ illibato ſuo influxu, ſapientiſſimi THOMAE animum illuſtrârunt, vt Angelicâ intellectûs ſubtilitate, veluti Eccleſiæ Phoſphorus ab orthodoxa fide palantes, incredibili vtilitate, ad veritatem reuocaret. Adeò GEMMA hæc tota lucida, imò tota lux eſt; vt, quod *Plato de Beatis mentibus*

 pro-

protulit eas ignea in essentia & maiestate versari, sic illam in splendoris essentia educatam, veluti lucidissimam Pharum, ad miraculum vniuerso orbi in ignea essentia diuinitùs nobis proponi æstimemus. Nec miror DOCTOREM ANGELICVM tantæ lucis à scientia sua deriuare splendorem; cum illi sagax Numinis Optimi prouidentia Magistrum dedit, à quò nihil nisi lucidum, nihil nisi cœleste, nihil nisi à Matre Virgine sapientiæ tripode, mutuatum posset percipere: illud iustiori mentem mihi admiratione percellit, quòd tanti luminis splendor eâ sit in sui accessu facilitate, vt neminem hucusq; Prometheum sphæram suam proximè contingentem acie perstrinxerit, aut scintilas sapientissimi splendoris studiosâ cupiditate suffurantem inuidiosè repulerit. Volo dicere: sapientia DOCTORIS ANGELICI ita vnicuiq; liberaliter participabilis est; ita methodo, stylo vbiq; candida & perspicua; ita communicatione syncera, subtilitate facilis, dispositione aperta, vt nemo in doctrinæ illius quæstu nodos inueniat, quos non soluat; nemo Oediporum imploret opem, quam ænigmatum adstruat latebris; nemo Delphos, aut Apolinem adeat, qvorum oraculo, virtutum & diuinitatis captum consequatur. Quis Aristotelis fallacias, ab eo, materno in carcere, compilatas ita percurrit, vt ingenium profectûs cupiditate fefellerit? quis vel summis digitis Organum tetigit, & non se ab eo in viuidas scientiæ voces concitatum formatumq; sensit? quis Logicales calcauit spinas, & earum subtilissimis acuminibus feliciter & cum salute non sauciauit mentem? Summam illius quis constanti consummauit studio, & summum se in eius decursu non agnouit? quis vnius & diuisæ Trinitati, Verbi æterni in carne abbreuiati, Virginis sine macula enixæ, purissimorum Spirituum, visionis beatificæ; virtutum deniq; omnium prælibauit condimenta, & non attigit admirationis, amoris, æmulationis saporem? quis arcanos Sacramentorum fontes, Cathenam auream, funestos contra gentes, & in iugula perfidiæ apparatus; quis in D. Pauli Epistolas, Ioannis, Matthæiq; Euangelia, in lugubres Iobi querelas, in suauia Canticorum cantica,

tica, in admirandi Angelorum Panis laudem, Diuinissima prorsùs opera; quis alia centena, quæ honori Diuino, ornamento Ecclesiæ, fidelium vtilitati, operosus DOCTOR, & infracti roboris Athleta diuulgauit, librorum munimenta lectione permensus est; & virtutis sapientiæq; splendore animum non illustrauit? Tanta est, & tam communis in GEMMA AQVINATICA radiorum copia; tanta in illis scientifici splendoris immensitas; vt veriùs in ea sacratiores Musæ cum splendidissimo sapientiæ diuinæ Phæbo resplendeant, quàm olim in Pyrrhy achate ex naturæ artificio credantur splenduisse. Sed quid ego Herculis cothurnos infanti apto eloquentiæ, quæ cùm lumen exprimere debeat, magis inducit tenebras? qua si enim verò angustia mea ad laudis AQVINATICAE attingat copiam, humilitas ad altitudinem, ad sublimitatem abiectio? prudenter proinde multa omitto, quæ præstari, nisi insipienter, non possunt, & iam cum Cœlo terraq; de inæstimabili GEMMAE huius pretio licitari incipiam. Solet recta prudentium æstimatio gemmas non ita à natiuo splendore, aut miris artificum impressionibus, quàm, quòd luce suâ, ac splendore solares radios æmulari videantur, dicere pretiosas, quasi exiguæ sit laudis terrenis commisceri rebus; maximæ autem cum cælestibus habere consortium. Quod si ita est, si aliquando gemmarum aliquam mundus habuit, quæ non modò lumen hoc virtutemq; solis, verùm etiam ipsum solem in se complexa est, nonne eius optima maximaq; censebitur æstimatio? At en vobis DOCTOREM ANGELICVM, pulcherrimam Ecclesiæ, scholarumq; GEMMAM, cuius *procul & de vltimis cælorum finibus pretium est.* Hæc non modò suæ sapientiæ luce fulgurantes sempiternæ sapientiæ, siue solis iustitiæ radios imitata est; verùm etiam in semetipsá eundem adinstar solaris regiæ comprehendit; ita, vt reuerà dicere possimus, à Sanctissimo THOMA illum increatæ sapientiæ Solem ingenij velo, & aureá quâdam virtutum togá circumamictum esse, seq; ideo inæstimabile sui pretium possedisse hinc quantum erat cæli totiùs de huius GEMMAE valore iudicium; cùm eam multoties Apostolo-

Pretium Gemmæ Aquinaticæ.

rum Principes admiraturi visibilitèr conuenirent; cùm eam cælorum REGINA præsenti suo aspectu dignaretur; cum eam ipsum Patris æterni VERBVM è sublimi Crucis Cathedra *benè scripsisse*, seu bene luxisse collaudaret. Quid verò de illius pretio etiam tellus? longum esset, illustrium virorum testimonia, Academiarum laudes, Religionum ritus, Pontificum placita & diuulgationes in huius materiæ seriem congerere, quæ maximum GEMMÆ huius pretium vbertim definiunt, atq; commendant. Non est non orbe toto vllus adeò mente Cimmerius, qui te, splendidissimè DOCTOR, lumen præfulgidum & sublime esse, speculum clarissimum. GEMMAM radiantem, omnibus, qui viam vitæ & scholas doctrinæ ingrediuntur, veluti nauigantibus Cynosuram, domesticis lampadem, Æditius aureum candelabrum, propositam non fateatur. Te veram terrarum lucem illi omnes cognoscunt, qui solido, hoc est Gemmato splendore conspicuum in Doctorali throno inter amplissima Ecclesiæ decora, augustum intuentur. Te solem suum prædicant homines, Angeli Præceptorem venerantur, Deus adamat suæ sapientiæ sacrarium; Te tuamq; doctrinæ lucem ipsa illa à Deo profligatorum Andabatarum ora basim fidei confitentur; quando in Sanctissimam fidelium Matrem impias illas voces euomunt: *Tolle Thomam & dissipabo Ecclesiam.* Deniq; *maius te pretium inuenire nemo potest: non est in terra suauiter viuentium; abyssus dicit, non est in me; & mare loquitur, non est mecum: non conferuntur tibi tincti Indiæ colores, nec lapides quiq; pretiosissimi non adæquatur aurum obryzum: nihil excelsi, nihil eminentis in tui comparatione memoratur.*

Tot tantisq; nobilissimorum luminum splendoribus insignitus THOMAS quibus iam Orationis pigmentis reddi potest splendidior? Si vel eloquentissimorum Isocratum, Hiperiduq; classes conuocem; certè ne eorum quidem fluenta ad tantæ laudis magnitudinem comprehendendam satis sunt: quæ sicut omnem mortalitatis terminum, ita prædicationis facultatem, ipsaq; adeo desideria longo excedit interuallo. Quare cedo onus hoc Athletis fortioribus, & solà Clarissimi iuxta ac

Sanctis-

Sanctissimi Doctoris laudem Gemmæ appellatione inuoluens, Encomiastæ defungor iam prouinciâ. Luxisti; luxisti, hodieq; luces, & lucebis omnibus sæculis, ô Gemma pulcherrima, vitæ innocentiâ, integritatis puritate, Sanctitatis, sapientiæ splendore, omniumq; virtutum meritis; quibus vt æternùm luceres, meruisti. Gratulor te vniuersæ Catholicorum Ecclesiæ; cui non Virginum Vestalium custodiâ, sed Dei ipsius conseruatione is perpetuus ignis es, à quo & communis vtilitatis lumen sempiternum, & priuata vniuscuiusq; virtus sanctitatis ardorem possit accendere. Gratulor te inclyta Prædicatorum Religioni; cui ad tot transmissos cœlo Diuos, ad tot orbi enutritos Doctores, ad tot Antistites Ecclesiæ genitos, ad tot fixa in polo sydera, tu lucidior omnibus Sol accessisti. Gratulor te plurimis Vniuersitatum Ordinumq; Lycæis; quibus nunquam inoffenso pede Sapientiæ adyta, liceret introire, nisi tu facilitate & peritiâ veluti aureo Mineruæ lychno iter illustrares. Gratulor te mihi ipsi; cui præter minimam illam, quam In florentissimo tuo Peripatu licuit hausisse, sapientiæ scintillam, licuit etiam hodie Te, soli simillimam Gemmam rudi licet & caligante oculo suspexisse. In cuius rei gratitudinem, quandoquidem non aliunde magis, quam à vitiorum victoria, ab errorum conuulsione, ab euersione hæresum, â Stygiæ caliginis exterminio lux tibi suborta est; priusquam istâ decedam exedrâ, adhuc te, Gemmarvm præstantissima, vnico adorno schemate; in medio tetræ obscuritatis lucidissimè depictam

Te relinquo, cum hac superiectâ Epigraphe:

Gemmæ sole nitent; hac plus caligine
GEMMA.

D.

D. THOMÆ
Viuentis & Mortui
PRÆCIPVA DECORA
Viginti & quatuor Epigrammatibus illustrata.

I.

Deus sub specie peregrini admonet Theodoram de pariendo Thoma

Dùm tibi gignendi Christus prænuntia THOMAE
Ferret, secretò res, THEODORA, *stetit.*
SOL *est quem paries; Solem quæ Aurora præiret,*
Non erat, Auroræ fert Deus ipse vices.

II.

Natus, THOMÆ nomine insignitur.

Natus vbi liquidâ Sacri Baptismatis vndâ
Tingitur; & THOMAM *protinus ora vocant.*
Nomen id omen habet, duplicem nam dictio signat:
Quippe duplex THOMAS, *Angelus est, & homo,*

III.

III.

Infans chartulam Mariæ nomine conſcriptam deglutit

Fallere plorantem Nutrix fors niſa puellum,
Scripta MARIANO *Nomine dat folia.*
Viciſti Nutrix lachrymas; ſed & vbera conde:
Hâc dape mæſtitiam vincet, & ille ſitim.

IV.

Nil vagientem afficiebat gratiùs, quàm libellus quiſpiam, aut codex porrectus.

Seu Mater, ſeu blanda daret bellaria Nutrix,
Hoc infans nunquam munere lætus erat.
Aſt vbi porrectum librum capit, illicò gaudet.
Quem puer iſte ſapit, cui niſi ſcire ſapit.

V.

Puer Monaſterio S. Benedicti inſtituendus traditur.

Vel peragrat multos, benè mundus vt audiat, orbes,
Sæua vel impauidi Martis in arma ruit.
Poſsit vt à propriis THOMAS *Benedicier annis,*
Se tener ad veſtram fert, BENEDICTE, *domum.*

VI.

Neapolim ad ſtudia mittitur.

Diue Neapolio ſtudium poſiture Lycæo
Parthenopæa noui dum petis arua ſoli,
Diſcipulus fies, fieſq; Magiſter: honeſtâ
Arte ſcholæ ornabunt te, tua facta ſcholas.

VII.

Mundum contemnit.

Quatuor & Denos THOMAS *vix egerat annos,*
Et iam dura hoſtem poſcit in arma ſuum.
Quem? mundum. quali arte? nouâ. viuiſſe ſequendo
Mos: magis hôc vincit, quò magis ille fugit.

VIII

Religionem S. Dominici ingreditur.

Occulit in Sacrum ſua THOMAS *ora cucullum,*
Effugiens patrios, Numine flante, Lares.
Ne Domus inclama THOMAM, *ne flete parentes;*
Veſter erit, Chriſtus, ſi meus, inquit, erit.

IX.

Lutetiam proficiſcens capitur à fratribus, & Matri mittitur.

Ob profugum Mater ſalſo dum flumine natum
Ora rigat, profugi eſt maior ab imbre ſitis,

Sed

Sed capitis THOMAM *Fratres : ô ergo Parenti*
Mittite : dissoluet præda petita sitim.

X.

Sorori ad mundum se pellicienti mundi contemptum persuadet.

Clausus vbi tetro superari Natus in antro
Haud à Matre potest, vincere iussa Soror.
Sed vix persequitur, Fratrem Soror illa secuta est.
Cedit Virtuti sanguis & ipse locum.

XI.

Fæminam ad Venerem se stimulantem titione fugat.

Nata salo, sed tota malis Venus ignea flammis
Ausa suam in THOMÆ *mittere damna facem:*
Torre sed hanc vsto fugat : ô quæ imperuia THOMÆ,
Si Stygium nostro supprimit igne focum!

XII.

Victor ab Angelis balteo præcingitur.

Diue tuo Venerem credas vt obîsse triumpho,
Indicium zonæ cælitùs istud habe.
Nec pete, cur lumbos Genii non tempora cingant,
Ipse dabit fronti debita serta Deus

XIII.

Carcere emancipatus redit ad Monasterium, & se votis Religionis obstringit.

Missa semel non iura sequi Materna volendo,
Refricuit profugos ad sacra claustra pedes.
Nate times iterum Materna pericula? Matri
Ne sint iura, Deo te benè iure liga.

XIV.

Sub Magno Alberto Theologiam discit.

Inchoat à MAGNO *Sacrum quòd* Scire *Magistro,*
Omen adest; tali nam duce magnus erit.
Magnus? spe certâ maior quinimo futurus;
A magno maior fit benè nempe gradus.

XV.

Propter silentium bos à fratribus appellatur.

Dum tegit edoctæ THOMAS *sua munera mentis,*
Stultum aiunt Fratres: dum tacet, esse bouem,
Esse sed ô Fratres: prima est sapientiâ stultum;
Et tales capiunt sidera celsa boues.

XVI.

XVI.

Lutetiæ Doctoratûs laureâ decoratur: & fit allusio simul ad Solem in eius pectore situm.

Tempora Doctoris præcinge Lutetia serto,
Illius cinget pectora Sole Deus.
Ars THOMAM *pietasq́ notant; hinc laurea docta*
Mentis, Solq́ pij laurea cordis erit.

XVII.

Summam Theologiæ scribit.

Grandia Theologi scripsêre Volumina, Noster
Theologus Summâ *colligit alta breui.*
Hinc alijs THOMAM *si confers: fusior illo*
Multus erit, nunquàm doctior vllus erit.

XVIII.

Appellatus Theologorum Sol.

Cynthius & THOMAS *titulo similantur in vno,*
Vt sit Sol radijs natus vterq́ suis.
Non tamen ambo pares: patitur sol ille vicissim
Noctes; perpetuos Sol habet iste dies.

XIX.

A Christo audit: *Bene scripsisti, &c.*

Scripta, librique Virûm multo Censore probentur,
Multo Doctores ore, vel orbe volent.
Ipse Deus THOMAM Bene *cùm* Scripsisse *fatetur;*
Hæc fidei, hæc laudi vox erit vna satis.

XX.

Sancti Pauli Epistolas explanat.

Vin' tua, PAVLE, *diu mundo Monimenta videri?*
A THOMA *lucem sunt habitura suam.*
Lucida Doctores alij sunt sydera. THOMAS
Sol; maius lumen quis tibi sole dabit?

XXI.

Auream Cathenam super Euangelia scribit.

Fortiter vt IESVM *sibi stringeret, Aureus aureô*
Doctor Euangelicum torque ligauit opus.
Penna notas torquens est Torques, est Amor aurum:
Vt IESVM THOMAS, *scribit amatque, liget.*

XXII.

Mortis suæ prædicit diem.

Diue, tuas inter dotes res magna (fatendum est)
Scire mori; mortis maxima, scire diem.

Prima

Prima venit virtute, polo venit altera: virtus
Te docet ergo mori: mortis at astra diem.

XXIII.

Animam agente THOMA stella super Monasterio apparuit.

Æger ubi vitæ labentis agebat agonem,
Visa super sacrâ stella micare domo,
Rem vis? nemo, minor nisi sit, conscendit Olympum;
Sol speciem stellæ, scandat ut astra, subit.

XXIV.

Anima D. THOMÆ in cælum translata.

Corporis in media posito Sol pondere terra,
Lucem, ceu proprium, misit in astra, locum.
Cur? ait: est tellus punctum, sunt circulus astra;
In Puncto teretes Sol *nequit ire gradus,*

Author ad Angelicum suumq; Præceptorem.

Et dixi, & cecini. quæ poscam præmia? Christum?
Est tuus. At dare vis si satis, esto meus.